



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Diplomatvm Belgicorvm Libri Dvo**

**Le Mire, Aubert**

**Brvxellis, 1627**

18. Fulquinus, vir potens, villam pagi Brachbatensis, Dorp nuncupatam,  
dat monasterio Gemblacensi circa an. 950.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10903**

## C A P V T   X V I I I .

*Fulquinus, vir potens, villam pagi Brabantensis, Dorp nuncupatum, dat monasterio Gemblacensi, circa an. 950.*

**Q**uisquis bene possideat res in praesenti saeculo acquisitas, ille utique optimè possidet, qui de terrenis ac caducis sibi mercatur æterna.

Quamobrem ego in Dei nomine **FVLQVINVS**, cum consilio vel suauis benignissimi Faraberti Episcopi, pro salute animæ beatæ memorie Richarij Episcopi, ipsius etiam Faraberti, pro salute nihilominus animæ meæ, filiorumque ac fratrum meorum, siue quoque gratia æternæ salutis, trado & perpetualiter tribuo Ecclesiae sanctæ Dei genitricis Mariæ, beatique Petri Apostoli Apostolorum principis, atque S. Exuperij, in loco, vocabulo *Gemblau*, ubi praesesse dignoscitur illustris Abbas Erluinus, quoddam iuris mei prædium in pago *Brainibant* in loco, qui dicitur *Dorp*, cum dimidia ecclesia, & cum una camba, & sedecim mansis, & cum quodam homine nomine *Iser*, seu cum omnibus ibidem aspicientibus, cum domibus & ædificijs, campis, terris, tam cultis quam incultis, silvis, pratis, pascuis, communibus & paruis, aquis aquarumue decursibus, mobilibus, & immobilibus, præsidijs, peculijs, omnia & ex omnibus, quidquid in Episcopio noltra videtur possesso vel dominatio, rem exquisitam & inexquisitam, totum ad & integrum, tam de allodio, quam de comparato, seu de quolibet attractu ad nos ibidem dignoscatur peruenisse, de nostro iure & dominatione, iam dicto monasterio per hanc chartulam donationis, siue per festucam, ad opus Sanctorum, quorum mentionem suprà fecimus, à die praesenti donamus, tradimus atque perpetualiter in omnibus transfirmamus.

Ea vero ratione, ut praceptores predicti monasterij ab hac die hoc habeant, teneant atque possideant, vel quidquid inde facere voluerint, liberam ac firmissimam, Christo propitio, in omnibus habeant potestatem. Et si quis deinceps ( quod futurum esse non credo ) si ego ipse, quod absit, aut quisquam de heredibus, vel proheredibus meis, seu quilibet extera persona, quæ contra hanc chartulam donationis venire aut calumniari eam præsumperit, & se

exinde non subtraxerit, à liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ excommunicatus & diuisus existat, & insuper in die tremendi iudicij propter hoc rationem reddat. Contra quem verò calumniam intulerit, auri vñcias centum, argenti verò libras CCC. coactus exsoluat, & quod repetit, nullo modo euindicare præualeat, sed præsens hęc donatio, meis, & me rogante, bonorum hominum manibus roborata, quorum nomina vel signa subter tenentur, inserta stipulatione, subnixa per diuturnum tempus maneat inconuulsa.

Signum Goðeranni Aduocati.

S. Fulquini & reliquorum.

OTTO Rex. CVNO Dux.

FARABERTVS Episcopus.

Aletrannus Cancellarius.

### N O T A T I O N E S.

RICHARIUS) Tungrensis seu Leodicensis Episcopus, S. Petri basilicam in vrbe Leodicensi, à Normannis destructam instaurauit, & an. 935. Canonicos XXX. in ea constituit, obiitque an. 946.

FARABERTVS) itidem Leodicensis Episcopus, an. 948. Synodo in Eglehem, Agapiti Papæ iussu congregata, cum Fulberto Cameracensi Episcopo interfuit, & an. 953. viuere desit. Cui Bruno Archiepiscopus Coloniensis Ratherium monachum Laubiensem suffecit.

S. EXPERITI) Vexilliferi, ex legione Thebæa, reliquiæ sacræ ad Gemblacense monasterium, Othonis I. Imp. temporibus, sunt allatae.

GEMBLAVS) siue Gummelaus, hodie Giblou, opidum Ducatus Brabantiae, olim Leodicensis, nunc Namurcensis diœcefis, quod Arnulfus Abbas IX. Gemblacensis mœnibus cinxit. Abbas porro Gemblacensis gaudet titulo Comitis à multis retrò sœculis, & in publicis Ordinum Brabantiae comitijs primum inter Nobiles locum obtinet. Quod S. GIBERTI Comitis ac fundatoris Gemblacensis memoriarum meritisque adscribendum existimo.

BRAIVBANT) seu Braibant, seu pagus Brabantensis, posteriore anno à ripa Scaldis usque ad Velpam fluum (qui in Gallo-Brabantia ortus Velpiam vicum perluit, & paulò infra Thenas Hasbaniae opidum Iacez infunditur) extendebat. A Septentrione Demera &

co

eo in se recepto, Thilia seu Dilia fluuius terminabat: à meridie ad Sabini usque excurrebat: ut Petrus Diaeus tradit in libro suo ms. De Galliæ Belgicæ statu sub Francorum imperio. Olim Brachbantum seu pagus Brabantensis ( unde Brabantia nostra nomen ) non versus Gallo-Brabantiam, sed à Bruxella versus Alostanum Comitatum, Einhamum, Tornacum & Condatum, opida Scaldi adsita, potissimum extendebat: ut ex Sigeberii Gemblacensis Chronico liquet.

PER FESTVCAM) seu terra cespitem olim fieri solebat traditio fundi, quando is Ecclesiaz donabatur seu tradebatur. In eius memoriam etiamnum in quibusdam ecclesijs terre cespites adseruantur, qualem me vidisse memini Traiecti ad Mosam in sacrario ecclesiaz S. Seruati.

OTTO Rex.) Designatur Otho I. Imperator, qui & Rex Lothariensium in diplomate præcedenti nuncupatur. Ex quo datur intelligi, ab Henrico Autcupis Imp. ævo ( ut vulgo creditur ) non defuisse titulum Regis Lotharingiaz: et si suos tunc Duces Lotharingia habere cœperit.

Cvno) sive Conradus Lotharingiaz vniuersæ Dux fuit, Othonis I. Imp. gener, qui contra Hungaros fortiter dimicans, an. 957. occubuit. In Ducatu successit ipsi Bruno Archiepiscopus Coloniensis, eiusdem Othonis I. frater. Stemmata Principum Belgij, à nobis an. 1616. Bruxellis edita, consule.

### C A P V T . X I X .

Sigfridus Comes castellum Luziliburgum, in pago Arduenna situm, a VVikero Abbe S. Maximini Treuerensis, titulo permutationis, anno 963. acquirit, inde dictus primus  
comes Luziliburgensis seu Luxenburgensis.

**I**N nomine unigeniti Filij Dei. Notum sit omnibus populis, in Christum credentibus, tam præsentibus quam venturis, clericis atque laicis, quod SIGFRIDVS Comes, de nobili genere natus, castellum quod dicitur LVZILIBVRCH in proprietatem desiderans adipisci, perrexit ad D. Brunonem Archiepiscopum, fratrem videlicet